



## The Holy See

---

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **RODRIGUENSIS**\* IN MAURITIO NOVUS  
CONDITUR VICARIATUS

**APOSTOLICUS RODRIGUENSIS** Ad aptius consulendum evangelizationis operi in Mauritio, Congregatio pro Gentium Evangelizatione, omnibus mature perpensis habitoque faventi voto Venerabilis Fratris Brunonis Musarò, Archiepiscopi titulo Abaritani atque in eadem Natione Apostolici Nuntii, censuit ibidem novum Vicariatum Apostolicum esse condendum. Nos igitur, Qui gravissimo fungimur munere Pastoris et Patris universi populi Dei, talem sententiam ratam habentes, summa Nostra potestate sequentia decernimus. In Mauritiis insula patrio sermone « Rodrigues » nuncupata novum constituimus Vicariatum Apostolicum *Rodriguensem*, quem, separatim a dioecesi Portus Ludovici, ipsius Sedis concedimus curae atque iurisdictioni Congregationis pro Gentium Evangelizatione subicimus cuiusque Pro-Cathedram episcopalem ponimus in templo Sancti Archangeli Gabrielis, quod in urbe « Saint-Gabriel » exstat. Haec omnia perficienda committimus Venerabili Fratri Brunoni Musarò, quem diximus, onere imposito authenticum exemplar actus peractae executionis memoratae Congregationi remittendi. Hanc denique Apostolicam Constitutionem nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die undecimo mensis Octobris, anno Domini bis millesimo secundo, Pontificatus Nostri vicesimo quarto.*

ANGELUS card. SODANO

CRESCENTIUS card. SEPE

*Secretarius Status*

*Congr. pro Gentium Evang. Praef.*

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

Franciscus Bruno, *Protonot.*

*Apost.*

\*A.A.S., vol. XCV (2003), n. 1, pp. 36-37 © Copyright 2002 - Libreria Editrice Vaticana